



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Quomodò ijdem variant & pugnans de acceptione aut distributione vitæ
aeternæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

3. *Quae doctrina sit conformior scripturae & veritati, atque timori & honori Diuino.*

IN hoc omnes concordant veteres & recentiores, quoniam solus Christus vnicus est Saluator, qui mortē suā nobis meruit vitam æternam. Solus ipse author salutis est, qui tradidit corpus suū in mortem, & fudit sanguinem suum pro peccatis nostris, Matthæi 26. Hic solus mortuus est pro peccatis nostris, & resurrexit propter iustificationem nostram contra peccatum & Sathanam, Romanorum quarto, in illum solum posuit Deus pater iniquitatem omnium nostrum, Esaiæ 53. hic solus est agnus Dei, qui tollit peccata mundi, Ioan. 1. Hic obtulit solus semetipsum pro peccatis totius Mundi, i. Ioan. 2. Solus meruit nobis remissionem & vitam æternam, gratiam & fauorem patris, propter quem solum efficimur grati filij Dei, 1. Ioan. 3. in illum credentes omnes cōcordamus in articulo, quia natus est, passus, resurrexit, descēdit & ascēdit pro nobis, &c. Omnes ergo cōsentimus, quod solus ipse meruit vitam æternam nobis, & remissionem peccatorum: nam hoc nobis erat impossibile mereri, aliās nō fuisset opus venire Christum, si quisque pro se per suā iustitiam potuisset sibi meruisse remissionem & vitam æternam. Omnium igitur ex æquo solus ipse suo sanguine est author salutis, & meruit cœlū & vitā æternā. Ibi nulla est dissensio in Ecclesia, omnes tribuimus gloriam Deo, quoniam solus Christus meruit vitā æternam.

Variant iam partes Ecclesiæ & dissident in distributione, propter quidnam distribuatur vitā æterna. Veteres sic docent, quod Christus qui solus meruit suo sanguine vitam æternam, promisit in illum credentibus & mandata eius seruantibus, vitam æternā ex gratia, vt velit compēnsari fidē simul & bona opera
vita

vita æterna, non propter dignitatem operum, sed et gratia. nō propter opera operata nostra; sed quia ipse promisit se hoc facturum, ita quod eius promissio, quoniam ita dixit, vrget vt opera nostra compensentur vita æterna: Non quod opera nostra essent tantum ex sua dignitate, quibus Deus ex debito nihil deberet. Luc. 17. Cū omnia quæ præcepta sunt vobis, feceritis, dicite quia serui inutiles sumus. Hoc autem probant ex his scripturæ locis, & primò Matt. 19. Luc. 14. quando dicunt discipuli, Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergò erit nobis? id est, quod meruimus operibus nostris? Et Christus iurat & inquit: Amen dico vobis, aut tibi Petre, quod vos qui secuti estis me, scilicet, qui fide & opere reliquistis Domum, fratres, sorores, patrem & matrem, filios, agros &cæt. propter nomen meum, id est, facto vel voluntate, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. & Lucas inquit: Multo plura accipiet in hoc tempore, & in seculo futuro vitam æternam. Ecce hic stat promissio, hoc dixit Christus. Ergò docent veteres, quod propter hanc promissionem, & quia ipse Christus dixit propter verbum suū, & non propter dignitatem operum nostrorum, compensat opera nostra vita æterna. Nisi enim Christus hoc dixisset & promississet, nemo vnquam aliquid speraret de operibus suis. Quod autē Deus hoc sic promisit operibus nostris, tantūq; acceptet, gratuita sua bonitas & misericordia in causa est, non nostra opera vel merita. Causa ergò salutis fundatur in ipsa Dei bonitate & misericordia gratuita, non in nostris operibus operatis. Apostolus 1. ad Timot. quarto inquit: Pietas (id est, Fides in Deum, aut dilectio erga proximum) ad omnia utilis, habens promissionem vitæ quæ nunc est, & futuræ. Nam ipse coronat sic nostra opera propter verbum suum, quoniam ipse dixit sic Matth. 25. Venite benedicti, possidete regnum quod paratum

est vobis ab initio mundi &c. Et Ioan. quinto. Et procedent qui bona fecerunt, &c. & Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, &cæt. Has & consimiles authoritates intelligunt sic veteres, quod non tribuunt vim effectiuam meriti salutis æternæ operibus, sed promissioni diuinæ, & quia sic ipse dixit, & quod illi licet facere de suo quod vult, Matthei 20. Nihil ergo adimitur gratiæ & beneficio Christi: totū gratia est, quod ipse ex mera gratia & misericordia sic compensat & coronat opera nostra, quibus ex debito nihil debetur: Nec nos propter opera aliquid exigimus ex debito, nisi quod credimus illi, quoniam ipse sic dixit, coronaturum & compensaturū opera nostra &c. gloria & vita æterna. Recentiores verò sic loquuntur de distributione vitæ æternæ, quoniā Deus promisit se daturum vitam æternam credenti in Christum, ac poenitenti solū propter Christū, sine omni respectu alius cuius operis aut meriti humani, sed ob solū sanguinem Christi, ita quod nullum opus cōducibile sit ad accipiendum vitam æternam, nisi solam fidem illam quæ credit promissioni diuinæ, qua promittit se propter Christum daturum vitam æternam, Ioan. tertio, & licet obedientia legis necessariò sequi debeat, & alia habeat præmia attamen remissio peccatorum & vita æterna propter solum Christum donatur, id est, eius personam & passionem & propter nullum hominis opus. Igitur vita æterna ex sola gratia & misericordia donatur propter nullum opus hominis.

Huiusmodi dissensio de facili componi potest, si affectus deponantur, & sola DEI gloria & animæ salus quærat. Veteres concedunt quoq;, quod propter nullum opus hominis donetur vita æterna: nam docent quod ipsa Dei bonitas, misericordia & gratia, causa est, & quod Deus propter suam bonitatem, & non propter dignitatem operum nostrorum, compensat vitam æternam. Ipse sic dixit, instituit, & ordinauit:

3.